



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Ivlii Capitolini Maximini Dvo. Ad Constantinvn Avgvstvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**

327

I V L I I C A P I T O L I N I  
**MAXIMINI DVO**  
 A D C O N S T A N T I N V M  
 A V G V S T V M.



**N**E FASTIDIOSVM ESSET demētia tuae Constan-  
 tine Maxime, singulos quosq; principes, uel princi-  
 pum liberos per libros singulos legere: adhibui mo-  
 derationem, qua in unū uolumē duos Maximinos,  
 patrem filiumq; cōgererem. Seruauī deinceps hunc  
 ordinem, quem pietas tua etiā ab Tatio Cyrillo da-  
 rissimo uiro, qui græca in latinum uertit, seruari uo-  
 luit: qd' quidē non in uno tantū libro, sed etiā in plu-  
 rimis deinceps referuabo. Exceptis magnis impera-  
 toribus, quorum res gestæ plures, atq; clariores, longiorem desyderant textum.  
 Maximinus senior sub Alexandro imperatore enituit. Militare autem sub Se-  
 uero cœpit. hic de uico<sup>t</sup> Thraciæ uicino Barbaris, barbaro etiam patre, & matre  
 genitus: quorum alter è Gothia, alter ex Alanis genitus esse perhibetur. Et pa-  
 tri quidem nomen Micea, matri Ababa fuisse dicitur. sed hæc nomina Maximī  
 nus primis temporibus ipse prodidit. Postea uero ubi ad imperium uenit, occu-  
 li præcepit, ne utroq; parēte barbaro genitus imperator esse uideretur. Et in pri-  
 ma quidem pueritiā fuit pastor, nōnunq; procer, qui latronibus insidiaretur, &  
 suos ab incurſionibus uindicaret. Prima stipendia equestria huic fuere. Erat em̄  
 magnitudine corporis conspicuus, uirtute inter omnes milites clarus, forma ui-  
 rili decorus, ferus moribus, asper, superbus cōtemptor, sæpe tamen iustus. Inno-  
 tescēdi sub Seuero imperatore, prima hæc fuit causa. Natali Getæ filij minoris  
 Seuerus militares dabat ludos, propositis præmijs argenteis, id est, armillis, tor-  
 quib<sup>9</sup>, & baltheolis. Hic adolescēs, & semibarbarus, & uix adhuc Latina lingua  
 propè threica, imperatorē publice petijt, ut sibi daret licentiam cōtendendi cum  
 ijs, qui iam non mediocri loco militarent. Magnitudinem corporis Seuerus mi-  
 ratus, primū eum cum lixis composuit, sed fortissimis, quibus nec disciplinā mi-  
 litarē corrumperet. Tunc Maximinus xvi lixas uno sudore deuicit, xvi ac-  
 ceptis præmijs<sup>t</sup> munusculis nō militaribus, iussusq; militare. Tertia forte die, cū  
 processisset Seuerus ad campum, in turba exultantē more barbarico Maximī-  
 num uidit, iussitq; statim Tribuno, ut eum coërceret, ac Romana disciplina im-  
 bueret. Tunc ille, ubi de se intellexit imperatorē locutum, suspicatus barbarus,  
 & notum se esse principi, & inter multos conspicuū, ad pedes imperatoris equi-  
 tantis accessit. Tum uolens Seuerus explorare quantus in currendo esset, equū  
 admisit multis circuitionibus, & cum imperator laborasset, neq; ille accurrendo  
 p̄ multa spacia desisset, ait ei: Quid uis Threicisse: nūquid delectat luctari post  
 cursum? Tum quantum libet, inquit imperator. Post hoc ex equo Seuerus de-  
 scendit,

Al's<sup>t</sup> Threi-  
 cia.

Procer.

Licentia,

Al's<sup>t</sup> minuscu-  
 lis.

E 2 scendit,



scendit, & recentissimos quosq; ac fortissimos milites ei comparari iussit. Tum ille more solito VII fortissimos uno sudore uicit: solusq; omnium à Seuero post argentea præmia torque aureo donatus est, iussusq; inter stipatores corporis sui semper in aula consistere. Hinc igitur factus cōspiciuus inter milites clarus, amari à tribunis, à cōmilitonibus suscipi, impetrare ab imperatore quod uellet, locis etiam militiæ à Seuero adiutus: cum esset adolescens, longitudine autem corporis, & uastitate, & forma, atq; oculorū magnitudine, & candore inter omnes excelleret. Bibisse autem illum sæpe die uini Capitolinam amphoram constat: comedisse & XL libras carnis, ut autem Cordus dicit, etiam LX, quod satis constat. oleribus semper abstinuit, à frigidis propè semper, nisi cum illi potandi necessitas esset. Sudores sæpe suos excipiebat, & in calices, uel in uasculū mittebat, ita, ut duos uel tres sextarios sui sudoris ostenderet. Hic diu sub Antonino Caracallo ordines duxit cēturiatos, & cæteras militares dignitates sæpe tractauit, sub Macrino, quod eum, qui imperatoris sui filiū occiderat, uehemēter odisset, à militia desijt: & in Thracia in uico, ubi genitus fuerat, possessiones cōparauit, ac semper cum Gothis cōmercia exercuit. Amatus est autē unice à Getis quasi eorum ciuis. Alani, quicūq; ad ripam uenerunt, amicum eum donis uicissim re currentibus approbabāt. Sed occiso Macrino cum filio suo, ubi Heliogabalum quasi Antonini filium imperatorē comperit iam maturæ ætatis, ad eum uenit, petijtq; ut quod auus eius Seuerus iudicij circa se habuerat, & ipse haberet. Sed apud impurū hominē ualere nihil potuit. Nam dicitur cū eo iocatus esse Heliogabalus turpissime dicens: Maximine, XVI. & XX. & XXX. milites diceris aliquid quando lassasse, potes tricies cū muliere p̄ficere. Tum ille, ubi uidit infamē principem sic exosum, à militia discessit: & tamē retentus est per amicos Heliogabali, ne hoc quoq; illius famæ accederet, quod uirum temporis sui fortissimum, & quem alij Herculem, alij Achillem, alij Aiacem uocabāt, à suo exercitu dimoueret. Fuit igitur Maximinus sub homine impurissimo tantum honore præditus tribunatus: sed nuncq; ad manum eius accessit, nuncq; illum salutauit: per totum trienniū huc, atq; illuc discurrens, modo agris, modo ocio, modo fictis languoribus occupatus est. Occiso Heliogabalo, ubi Maximinus comperit Alexandrū principem nominatū, Romā contendit, quē Alexāder miro cum gaudio, miracū gratulatione suscepit, ut in senatu uerba faceret talia. Maximinus P. C. Tribunus, cui ego latū clauū addidi, ad me cōfugit, qui sub impura illa bellua militare non potuit, qui apud Diuū parentem meū Seuerum tantus fuit, quantum illū fama cōperitis. Statim deniq; illum tribunū legionis quartæ, ex tyronibus quam ipse composuerat, dedit, & eum in hæc uerba prouexit. Veteres milites tibi Maximine mi charissime, atq; amantissime, iccirco nō credidi, quod ueritum sum, ne uitia eorū sub alijs inolescentia emendare non posses. Habes Tyrones ad tuos mores, ad tuam uirtutem, ad tuū laborem: eos fac militiam addiscere, ut mihi multos Maximinos Reip. optabiles solus efficias. Accepta igitur legione, statim eam exercere cœpit. Quinta quaq; die iubebat milites decurrere, in se simulacra bellorum agere: gladios, loricas, galeas, scuta, tunicas, & omnia arma illorum



illorum quotidie circumspicere: calciamēta quinetiam ipse prospiciebat, prorsus ut se parem militibus præberet. Sed cum eum quidam tribuni reprehenderent dicentes: Quid tantum laboras? cum eius loci iam sis, ut ducatum possis accipere: dixisse fertur: Ego uero quo maior fuero, tãto plus laborabo. Exercebat cum militibus ipse luctamiã, quinos, senos, & septenos iam grandæuus ad terrã pro sternens. Deniq; inuidēribus cunctis, cum quidam Tribunus superbior magni corporis uirtutis notã, atq; ideo ferocior ei dixisset: Nō magnã rem facis, si Tribunus tuos milites uincis: ille ait: Visne congregiamur? Cumq; aduersarius adnuisset, uenientem contra se palma in pectus percussum supinũ reiecit, & continuo dixit: Date alium, sed tribunũ. Erat præterea, ut refert Cordus, magnitudine tanta, ut octo pedes digito uideretur egressus: pollice ita uasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo. Iam illa propè in uulgi ore sunt posita, quod hamaxas manibus attraheret, rhedam onustam solus moueret: equo si pugnũ dedisset, dentes solueret: si calcem, crura frangeret, lapides tophicuos fricaret, arbores teneriores scinderet. Alij deniq; eum Crotoniatem Milonem, alijs Herculem, Antæum alijs uocant. His rebus conspicuũ uirum Alexander magnorum meritorum iudex, in suam perniciem omni exercitui præfecit, gaudentibus cunctis ubiq; tribunis, ducibus, & militibus. Deniq; totum eius exercitum, qui sub Heliogabalo magna ex parte torpuerat, ad suam militarem disciplinã retraxit. Quod Alexandro, ut diximus, optimo quidẽ imperatori, sed tamen cuius ætas ab initio contemni potuerit, grauissimũ fuit, nam cum in Gallia esset, & nō longe ab urbe quadam castra posuisset, subito immixtis militibus, ut quidã dicunt, ab ipso, ut alijs, à tribunis barbaris, Alexander ad matrem fugiens interemptus est Maximino iam imperatore appellato. Et causam quidem Alexandri intermendĩ alijs aliam fuisse dicunt. Quidam enim Mammeã dicunt autorem fuisse, ut filius deserto bello Germanico Oriẽtem peteret, atq; ideo milites in seditionem prorupisse. Quidã, quod ille nimis seuerus esset, & uoluisset ita in Gallia legiones exautorare, ut exautorauerat in Oriẽte. Sed occiso Alexandro, Maximinus primũ è corpore militari, & nondum senator sine decreto senatus Augustus ab exercitu appellatus est, filio sibimet in participatũ dato: de quo pauca, quæ nobis sunt cognita, mox dicemus. Maximinus autẽ ea fuit semp astutia, ut milites nō solũ uirtute regeret, sed etiã præmijs, & lucris sui amãtissimos redderet. Nunq; annonã cuiuspiam tulit. Nunq; fuit, quin in exercitu faber, aut alterius rei, ut pleriq; sunt, artifex esset. Solis uenationibus legiones frequẽter exercens. Sed inter has uirtutes tam crudelis fuit, ut illum alijs Cyclopem, alijs Busiridem, alijs Chironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem, uel Gygem uocarẽt. Senatus eum tantũ timuit, ut uota in templis publice, priuatimq; mulieres etiã cum suis liberis facerent, ne ille unquã urbem Romã uideret. Audiebat enim alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris obiectos, alios fustibus elisos: atq; omnia hæc sine delectu dignitatis, cum uideretur disciplinam uelle regere militarem, cuius exemplo ciuilia etiã corrigere uoluit, quod non conuenit principi, qui uelit diligi. Erat enim ei persuasum, nisi crude-

Alis qui sine exercitu miles faber.

Alis Scirronẽ



litate imperiū non teneri. Simul & uerebatur, ne ppter humilitatē generis bar-  
barica nouitate cōtemneretur. Meminerat præterea se Romæ etiā à seruis nobi-  
lium contemptum esse: ita, ut ne à procuratoribus quidem eorum uideretur. Et,  
ut se habent stultæ opiniones, tales eos contra sperabat futuros, cum iam impe-  
rator esset: tantum ualeat conscientia degeneris animi. Nam ignobilitatis regen-  
dæ causa omnes conscios generis sui interemit: Nōnullos etiam amicos, qui ei  
sæpe misericordiæ, ac pietatis causa pleraq; donauerant. Neq; enim fuit crude-  
lius animal in terris: Omnia sic in uiribus suis ponens quasi non posset occidi.  
Deniq; cum immortalem se propè crederet ob magnitudinem corporis sui, uir-  
tutisq; munus, quidam in theatro præsentē illo dicitur uersus Græcos dixisse,  
quorum hæc erat latina sententiā:

- » Et qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur.
- » Elephas grandis est, & occiditur.
- » Leo fortis est, & occiditur.
- » Tigris fortis est, & occiditur.
- Caue multos, si singulos non times.

Et hæc imperatore ipso præsentē iam dicta sunt. Sed cum Maximinus interro-  
garet amicos, quid mimus scurra dixisset, dictū est ei, quod antiquos uersus can-  
taret cōtra homines asperos scriptos: & ille, ut erat Thrax, & barbarus credidit.  
Nobilem circa se neminē passus est. Prorsus ut Spartaci, aut Athenionis exem-  
plo imperabat. Præterea omnes Alexandri ministros uarijs modis interemit.  
Dispositionib<sup>9</sup> eius inuidit. Et dum suspectos habet amicos, ac ministros eius,  
crudelior factus est. Cum esset ita moratus, ut ferarū more uiueret, tristior & im-  
manior factus est factione Magni cuiusdā cōsularis uiri cōtra se parata: qui cū  
multis militibus, & centurionibus ad eum cōfodiendū consiliū inierant, cū in se  
imperiū transfere cuperet. Et genus factionis fuit tale: cū ponte iuncto in Ger-  
manos transire Maximinus uellet, placuerat ut contrarij cum eo trāsirent: Pons  
postea solueretur, ille in barbarico solo circūuentus occideretur, imperium Ma-  
gnus arriperet. Nam omnia cœperat agere, & quidē fortissime, statim ut factus  
imperator, peritus utpote rei militaris uolens existimationem de se habitam te-  
nere, & ante omnes Alexandri gloriā, quē ipse occiderat, uincere. quare impe-  
rator in exercitio quotidie milites detinebat. Eratq; in armis ipse magnus exer-  
cicio, & corpore multa semper ostendens. & istam quidem factionem Maximī-  
nus ipse finxisse perhibetur. ut materiam crudelitatis augeret. Deniq; sine iudi-  
cio, sine accusatione, sine delatore, sine defensione omnes interemit: omniū bo-  
na sustulit: & plus IIII millibus hominū occisis, se satiari nō potuit. Fuit etiam  
sub eodem factio desciscētib<sup>9</sup> sagittarijs † Osdroënis ab eodem ob amorem  
Alexandri, & desyderium: quem à Maximino apud eos occisum esse cōstabat,  
nec aliud persuaderi potuerat. Deniq; etiā ipsi Tycum unū ex suis sibi ducem,  
atq; imperatorem fecerunt, quem Maximinus priuatim iam dimiserat: quem  
quidē & purpura circūdederūt, regiōq; apparatu ornarunt, & quasi sui milites  
obsepserunt, & inuitum quidem. Sed hic Tycus dormiens domi suæ ab ex ami-  
cis suis

A's † Odro-  
hensis.



cis suis interfectus est, qui sibi doluit illum esse præpositum Macedonio nomine, qui eum Maximino prodidit, quicquid caput eius ad imperatorem detulit. Sed Maximinus primo ei gratias egit: postea tamen ut proditorem odio habuit, & occidit. His rebus in dies immanior fiebat ferarum more, quæ uulneratæ magis exulcerantur. Post hæc transiit in Germaniã cum omni exercitu & Mauris, & Osdronis, & Parthis, & omnibus, quos secum Alexander ducebat ad bellum. Et ob hoc maxime Orientalia secum trahebat auxilia, quod nulli magis contra Germanos, quæ expediti sagittarij ualent. Mirandum autem apparatus belli Alexander habuit, cui Maximinus multa dicitur addidisse. Ingressus igitur Germaniã transihenam, per CCC uel CCCC millia Barbarici soli uicos incedit, greges abegit, prædas sustulit, Barbarorum plurimos interemit, militem diuitem reduxit, cepit innumeros: & nisi Germani per amnes, & paludes, & syluas confugissent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegisset. ipse præterea manu sua multa faciebat, cum etiam paludem ingressus circueuentus est à Germanis, nisi eum equo in hærentem sui liberaissent. Habuit enim hoc Barbaricæ temeritatis, ut putaret imperatorem manu etiã sua semper uti debere. Denique quasi aula quoddam prælium in palude fecit, plurimosque illic interemit. Victa igitur Germania, literas Romam ad senatum, & ad populum misit, se dictante conscriptas, quarum sententia hæc fuit. Non possumus tantum Patres conscripti loqui quantum fecimus, per CCCC millia Germanorum uicos incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus. Peruenissemus ad syluas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset. Aelius Cordus dicit hanc omnino ipsius orationem fuisse: quod credibile est. Quid enim in hac est, quod non posset Barbarus miles: qui pari sententia & ad populum scripsit, sed maiore reuerentia, iccirco quod senatum oderat, à quo se contemni multum credebat. Iussit præterea tabulas pingi ita, ut erat bellum ipsum gestum: & ante curiam proponi, ut facta eius pictura loqueretur. Quas quidem tabulas post mortem eius senatus & deponi iussit, & exuri. Fuerunt & alia sub eo bella plurima, ex quibus semper primus uictor reuertit, & cum ingentibus spolijs, atque captiuis. Extat oratio eiusdem missa ad senatum, cuius hoc exemplum est. Breui tempore P. C. tot bella gessi, quot nemo ueterum tantum prædæ in Romanum solum attuli, quantum sperari non potuit. Tantum captiuorum adduxi, ut uix sola Romana sufficiant. Reliqua orationis uerba non sunt ad rem necessaria. Pacata Germania, Syrmium uenit Sarmatis inferre bellum parans, atque animo habens, concupiens usque ad Oceanum septentrionales partes in Romanam ditionem redigere: quod fecisset, si uixisset, ut Herodianus dicit Græcus scriptor, qui quantum uidemus in odium Alexandri plurimum fauit. Sed cum Romani eius crudelitatem ferre non possent, quod delatores euocaret, accusatorem immitteret, crimina fingeret, innocentes occideret, danaret omnes quicumque in iudicium uenissent, ex ditissimis hominibus pauprimum faceret, nec alium nisi malo alieno pecuniam quaereret: deinde sine delicto consulares uiros, & duces multos interimeret, alios Scythicis ueliculis exhiberet, alios in custodia detineret, nihil denique prætermitteret, quod ad crudelitatem uideretur operari: contra eum defectionem pararunt, nec solum Romani, sed

Atque delictu,  
Atque scicis,

E + quia



quia & in milites sauebat exercitus, qui in Africa erat, subita & ingenti seditione Gordianū senem uirū grauiſſimū, qui erat proconsul, imperatorem fecerūt: cuius factionis hic ordo fuit. Erat fisci pcurator in Libya, qui omnes Maximini studio spoliauerat: hic per rusticanā plebem, deinde & quosdā milites interemptus est per eos, qui Rationalem in honorem Maximini defendebāt. Sed cum uiderent autores cædis eius acrioribus remedijs sibi subueniendū esse, Gordianum procōsulem, uirum (ut diximus) uenerabilem, natu grandiozem, omni uirtutum genere florentem, ab Alexandro ex senatusconsulto in Africam missum reclamantem, & se terræ affligentem, opertum purpura imperare cœgerunt, instantes cum gladijs, & cum omni genere telorum. Et primo quidē inuitus Gordianus purpurā sumpserat. Postea uero, cum uidit neq; filio, neq; familiæ suæ tutum id esse, uolens suscepit imperium, & appellatus ab omnibus Afris Augustus cum filio apud oppidum Tisdrum. Inde Carthaginem uenit cum pompa regali, & protectoribus, & fascibus laureatis. unde Romam ad senatum literas misit, quæ occiso Valeriano duce militum prætorianorū in odium Maximini gratanter acceptæ sunt. Appellati etiam Gordianus senex, & Gordianus iuuenis à senatu Augusti. Interfecti deinde omnes delatores, omnes accusatores, omnes amici Maximini occisi sunt. Interfectus est Sabinus præfectus urbis percussus in populo. Vbi hæc gesta sunt, senatus magis timens Maximinum, aperte ac libere hostes appellat Maximinū, & eius filium. Literas deinde mittit ad omnes prouincias, ut cōmuni saluti, libertatiq; subueniant, quæ auditæ sunt ab omnibus. Deniq; ubiq; amici, & administratores, & duces, tribuni, & milites Maximini interfecti sunt. Pauca ciuitates fidem hosti publico seruauerūt: quæ proditis ijs, qui missi ad eos fuerant, ad Maximinū cito per indices detulerunt.

Literarū senatus exemplum hoc fuit. Senatus populusq; Romanus, per Gordianos principes ab illa tristissima bellua liberari cœptus, proconsulibus, præsidibus, legatis, ducibus, tribunis, magistratibus, ac singulis ciuitatibus, & municipijs, & oppidis, & uicis, & castellis salutem, quā nunc primū recipere cœpit, dicit. Dijs fauētibus Gordianū procōsulem uirū sanctissimū, & grauiſſimū senatorē principē meruimus, Augustū appellauimus. Nec solum illum, sed etiam in subsidium Reip, obtinendæ, & ad scelera defendenda, & ad illam belluam Maximinum, atq; illius amicos ubicunq; fuerint persequendos. A nobis etiam Maximinus, cum filio suo hostis est iudicatus. Senatusconsulti autem hoc fuit exemplum, cum uentū esset in ædem Castorū, VI Cal. Iun. acceptas literas Iulius Sullanus C O S. Africæ, Gordiani imperatoris patris patriæ proconsulis recitauit. Inuitum me, P. C. iuuenes, quibus Africa tuenda cōmissa est, ad imperium uocarūt. Sed intuitu uestri necessitatē libens sustineo. Vestrum est æstimare, quid uelitis. Nam ego usq; ad senatus iudicium incertus, & uarius fluctuabo. Lectis literis, statim senatus acclamauit: Gordiane Auguste dij te seruent: felix imperes, tu nos liberaſti: saluus imperes, tu nos liberaſti: per te salua Resp. omnes tibi gratias agimus. Itē C O S. retulit, P. C. de Maximinis qd placet: Respōsum est: Hostes, hostes. Qui eos occiderit, præmiū merebitur. Itē C O S. dixit, de amicis

Maximini



» Maximini quid uideretur? Acclamatū est, Hostes, hostes: qui eos occiderit, præ-  
 » mium merebitur. Ita acclamatū est: Inimicus senatus in crucem tollatur. Hostis  
 » senatus ubicunq; feriat, inimici senatus uiui exurantur. Gordiani Augusti dij  
 » uos seruent. Ambo feliciter agatis, ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani  
 » præturam decernimus, nepoti Gordiani consulatum spondemus, Nepos Gor-  
 » diani Cæsar appelletur. Tertius Gordianus præturam accipiat. Vbi hoc sena-  
 » tusconsultum Maximinus accepit: homo natura ferus sic exarsit, ut non homi-  
 » nem, sed belluā putares. Iaciebat se in parietes, nōnunq; terrā se prosternebat.  
 » Exclamabat incondite: arripiebat gladium, quasi senatum posset occidere: con-  
 » scindebat uestem regiā, alios uerberibus afficiebat: & nisi de medio recessisset,  
 » ut quidam sunt autores, oculos filio adolescentulo sustulisset. Causa autem ira-  
 » cundiæ contra filium hæc fuit, Quod eum Romam ire iusserat, cum primū im-  
 » perator factus est, & ille patris nimio amore neglexerat: putabat autem, quod  
 » si ille Romæ fuisset, nihil ausurus esset senatus. Ardentem igitur Maximinū ira-  
 » cundia amici intra cubiculum receperunt. Sed cum furorem suū tenere nō pos-  
 » set, ut obliuionem cogitationis acciperet, uino se primo die obruisse dicitur eo  
 » usq; ut quid gestum esset, ignoraret. Alia die admittis amicis, qui eū laudare nō  
 » poterant, sed tacebant, & qui factum senatus tacite laudabant: consiliū habuit, Als tuidere;  
 » quid factū opus esset: sed consilio ad concionē processit: in qua concione multa  
 » in Afros, multa in Gordianū, plura in senatū dixit, cohortatusq; milites ad cō-  
 » munes iniurias uindicandas. Concio deniq; omnis militaris fuit, cuius hoc exem-  
 » plum est. Cōmilitones rem notā uobis proferimus. Afri fidem fregerunt: quid  
 » dicam fregerunt? nam quando tenuerunt? Gordianus senex debilis, & morti ui-  
 » cinus sumpsit imperiū. Sanctissimi autem P. C. illi, qui & Romulum, & Cæsa-  
 » rem occiderunt, me hostem iudicauerunt, cum pro his pugnarem, & ipsis uince-  
 » rem: nec solum me, sed etiam uos, & omnes, qui mecum sunt, quos & senatū ac-  
 » ceptissimos, & sibi aduersissimos esse credebant. Quare factum est, ut diximus,  
 » ut Gordianum adolescentulum principem ptererent, qui statim factus est. Nec  
 » prius permitti sunt ad palatiū stipatis armatis ire, q̄ nepotē Gordiani Cæsar  
 » nomine nūcuparent, & Gordianos patrē ac filiū Augustos uocarēt. Ergo si uiri  
 » estis, si uires habetis, eamus contra senatū, & Afros, quorū omniū bona uos ha-  
 » bebitis. Dato igit' stipēdio, & quidē ingēti, Romā uersus cū exercitu p̄fici cœ-  
 » pit: sed Gordianus in Africa primū à Capeliano quodā agitari cœpit, cui Mau-  
 » ros regēti successorē dederat. Cōtra quē filium iuuenē cum misisset, acerrima pu-  
 » gna interfecto filio, ipse laqueo uitā finiuit: sciens & in Maximino multū esse ro-  
 » boris, & Afri nihil uirū, multū quinimo p̄fidie. Tūc Capelian⁹ uictor p̄ Ma-  
 » ximino omēs Gordiani partiū motu partiū in Africa interemit, atq; p̄scripsit.  
 » Nec cuiq; pepercit prorsus, ut ex animo Maximini uideretur hæc facere. Ciuita-  
 » tes deniq; subuertit, fana diripuit, donaria militib⁹ diuisit: plebē, & principes, &  
 » ciuitatē condidit. Ipse præterea militū animos sibi cōciliabat proludēs ad impe-  
 » riū, si Maximinus perisset. Hæc ubi Romā nunciata sunt, senatus Maximini &  
 » naturalē, & iam necessariā crudelitātē timēs, mortuis duobus Gordianis, Maxi-  
 » mum



Afs t credide  
runt.

mum Pupienū ex præfectis urbi, & qui plurimas dignitates præcipue gessisset ignobilem genere. sed uirtutibus darū, & Clodium Balbinū moribus delicatorem, imperatores creauit. Quibus à populo Augustis appellatis, per milites & eundē populum etiā paruulus nepos Gordiani Cæsar est dictus. Tribus igitur imperatoribus cōtra Maximinū sulsa Resp. est. Horū tamē Maximus uita seuerior, prudētia grauior, uirtute cōstantior. Deniq; ipsi contra Maximinū & senatus, & Balbinus bellū tradiderunt. Profecto igitur ad bellū Maximo contra Maximinū, Balbinus Romæ bellis intestinis, & domesticis seditionib<sup>9</sup> urgebatur, occisis præcipue per populū Gallicano, & Mæcenate, qui quidē populū à prætorianis laniatas est, cū Balbinus resistere seditionibus non satis posset, deniq; magna pars urbis incēsa est. Et recreatus quidē imperator fuerat Maximinus audita morte Gordiani, atq; ei<sup>9</sup> filij, Capeliani uictoria. Verū ubi & aliud senatusconsultū accepit, quo Maximus, & Balbin<sup>9</sup>, & Gordianus imperatores appellati sunt, intellexit senatus odia esse perpetua, & uere hostem omnium iudicio haberi. Acrior deniq; Italiā ingressus est. Vbi cum comperisset Maximū contra se missum, uehementius sæuiens, quadrato agmine Hemonā uenit. Sed prouincialium omnium consilium hoc fuit, ut sublatis omnibus, quæ uictum præbere possent, intra ciuitates se reciperēt, ut Maximinus cum exercitu fame urgetur, deniq; ubi primū castra in cāpo posuit, neq; quicq; cōmeatus reperiret, incensus cōtra eum exercitus suus, quod fame in Italia laborasset, in qua post Alpes recreari se posse credebat, murmurare primū cœpit, deinde etiā aliqua libere dicere. Hæc cū uellet uindicare, multū exarsit exercitus, & odiū tacitū in tempus distulit, quod loco suo statim prodidit. Pleriq; sanè dicunt ipsam Hemonā uacua & desertam inuentā esse à Maximino stulte latante, quod quasi ciuitas tota cessisset. Post hoc Aquileiā uenit, quæ contra eū armatis circa muros dispositis, portas clausit: nec oppugnatio defuit Menophilo, & Crispino cōsularibus uiris autoribus. Cum igitur frustra obsideret Aquileiā Maximinus, legatos in eandem urbem misit. Quibus populus penè cōsenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens etiam deum Bellenum per aruspices spondidisse Maximinum esse uincendum. Vnde etiam postea Maximini milites iactasse dicuntur Apollinem contra se pugnasse debere, nec illam Maximi Pupieni, aut senatus, sed deorum fuisse uictoriam. Quod quidem iccirco ab his fictum esse dicūt, quod erubescerāt armatos se penè ab inermibus uictos. Ponte itaq; cuppis facto, Maximinus fluuium transiuit, & de proximo Aquileiam obsidere cœpit. Ingens autem oppugnatio, & discrimē tunc fuit, cum se ciues sulfure, & flammis, cæterisq; huiusmodi propugnaculis à militibus defenderēt: quorū alij nudabātur armis, aliorū uestes incendebantur, aliorū oculi extinguebātur: diruebant etiā machinamenta. Inter hæc Maximinus cū filio suo adolescente, quē Cæsare appellauerat, circūire muros quantū à teli iactu satis tutus esse posset, nūc suis uerbis milites, nūc oppidanos rogare. Verū nihil p̄fecit. Nā multa & in eū crudelitatis causa, & in filium, qui speciosissimus erat, probra cōgesta sunt. Quare Maximinus sperans suorum ignauia bellum trahi, duces suos interemit, eo tempore,



eo tempore, quo minime oportebat. Vnde sibi milites etiā iratiores reddidit. Huc accedebat, quod deficiebant cōmeatus: quia senatus ad omnes prouincias & portuū custodes literas dederat, ne aliquid cōmeatuū in Maximini potestatem ueniret. Miserat præterea per omnes ciuitates prætorios, & quæstorios uiros: qui ubiq; custodias agerent, & omnia contra Maximinū defenderent. Effectum deniq; est, ut obsessi angustias obsidēs ipse pateretur. Nunciabatur inter hæc orbē terrarū consensisse in odiū Maximini. Quare timentes milites, quorū affectus in Albano monte erant, medio forte die, cum à prælio quiesceretur, & Maximinū, & filium eius quiescentes, in tentorio positos occiderunt. Eorumq; capita præfixa contis Aquileiensibus demonstrauerunt. In oppido igitur uicino statim Maximini statuæ, atq; imagines depositæ sunt: & eius præf, præf, occisus est cum amicis clarioribus. Missa etiam Romā capita sunt eorum. Hic finis Maximinorum fuit dignus crudelitate patris, indignus bonitate filij. Quibus mortuis ingens lætitia prouincialium, dolor grauissimus Barbarorū. Sed milites in terfectis publicis hostibus, recepti sunt ab oppidanis rogantes. Et primum ita, ut ante imagines Maximi, & Balbini, & Gordiani adorarent, cum omnes dicerent priores Gordianos in deos relatos. Post hoc ingens ex Aquileia commeatus in castra quæ laborabāt fame, prætorij traductus est: fessisq; militibus alia die in concionem uentum est, & omnes in Maximi, & Balbini uerba iurarunt, Gordianos duos priores appellantes. Dicitur uix potest, quāta lætitia fuerit, cum Romā per Italiam caput Maximini ferretur occurrētibus cunctis ad gaudium publicum. Et Maximus quidem, quem multi Pupienum putant, apud Rauennam bellum parabat per Germanorū auxilia: qui ubi comperit consensisse exercitum sibi, & collegis suis, occisos autem esse Maximinos: statim dimissis Germanorum auxilijs, quæ sibi cōtra hostem parauerat, Romam laureatas literas misit, quæ in urbe ingentem lætitiā fecerunt: ita, ut omnes per aras, & templa, & sacella, & loca religiosa gratias agerent. Balbinus autem homo timidior natura, & qui cum Maximini nomē audiret, etiā tremere, hecatomben fecit, iussitq; per omnes ciuitates pari supplicari sacrificio. Deinde Maximus Romā uenit, se natumq; ingressus, actis sibi gratijs, concionē habuit, atq; inde in palatium cum Balbino, & Gordiano uictores se receperūt. Interest scire quale senatusconsultū fuerit, uel qui dies urbis, cum est nūciatus interemptus Maximinus. Iam primū is nūcius, qui ex Aquileiensi urbe Romā missus fuerat, tanto impetu mutatis animalibus cucurrit, ut quarta die Romā ueniret. Cum apud Rauennā Maximum reliquisset, & forte dies ludorum esset, cum subito sedēte Balbino, & Gordiano theatrū nūcius ingressus est: atq; anteq; aliquid indicaret, omnis populus exclamauit. Maximinus occisus est. ita & nūcius præuētus, & imperatores, qui aderāt, gaudiū publicū nutu & consensu indicauerūt. Soluta igitur spectaculo, omnes statim ad suas religiones cōuolarunt, atq; inde senatus ad principē, populus ad concionem cucurrerunt. Senatusconsultum hoc fuit, recitatis in senatu per Balbinū Augustum literis, exclamauit senatus: Hostes populi Romani dii persequuntur. Iupiter optime tibi gratias. Apollo uenerabilis tibi gratias.

Ab deficiet  
batur com/  
meatibus.



tias. Maxime Auguste tibi gratias. Balbine Auguste tibi gratias. Tibi gratias  
 Gordiane Auguste. Diuis Gordianis templa decernimus. Maximini nomen  
 olim erasum, nunc animis eradendum: hostis publici caput in profluentem ab-  
 iiciatur, corpus eius nemo sepeliat. Qui senatui mortē minatus est, Qui senatui  
 uincula minatus est, ut debebat, interemptus. Sanctissimi imperatores gratias  
 uobis agimus, Maxime, Balbine, Gordiane dii uos seruent. Victores hostium  
 omnes desyderamus: presentiam Maximi omnes desyderamus. Balbine Augu-  
 ste dii te seruent. Presentē annū consules uos ornetis, in locum Maximini Gor-  
 dianus sufficiat. Post rogatus sententiā Cuspidius Celerinus hæc uerba habuit.  
 P. C. eraso nomine Maximinorū, appellatisq; diuis Gordianis uictoriæ causa  
 principibus nostris Maximo, Balbino, & Gordiano statuas cū elephātis decer-  
 nimus, currus triumphales decernimus, statuas equestres decernimus, trophæa  
 decernimus. Post hæc misso senatu supplicationes per totā urbem decreta. Vi-  
 ctiores principes in palatiū se receperunt, de quorum uita in alio libro deinceps  
 dicemus. Maximinus iunior, de cuius genere superius dictum est, tantæ pul-  
 chritudinis fuit, ut passim amatus sit à procacioribus sceminis. Nonnullæ etiam  
 optauerunt de eo concipere, Proceritatis uidebatur posse illius esse, ut ad statu-  
 ram paternā perueniret. Siquidē anno xx & primo perijt in ipso flore iuuen-  
 tutis: ut aliqui autē dicunt, octauodecimo. literis & græcis, & latinis imbutus ad  
 primā disciplinam. Nam usus est magistro Græco literatore Fabilio, cuius epi-  
 grāmata Græca multa extant, maxime in imaginibus ipsius pueri: qui uersus  
 Græcos fecit ex illis Latinis Vergilij, cum ipsum puerum describeret.

- » Qualis ubi Oceani profusus lucifer unda
- » Extulit os sacrum cælo, tenebrasq; resoluit:
- » Talis erat iuuenis primo sub nomine clarus.

Grammatico latino usus est Philemone, Jurisperito Modestino, oratore Titia-  
 no filio Titiani seniore, qui prouinciarū libros pulcherrimos scripsit, & q dictus  
 est Simia temporis sui, quod cūcta imitatus esset. Habuit & Græcū rhetorem  
 Eugamiū sui temporis clarum. Desposata illi erat Iunia Fadilla proneptis An-  
 tonini, quā postea accepit Troxotius eiusdē familiæ senator, qui perijt post præ-  
 turam, cuius etiam poemata extant. Manserūt autē apud eam arræ regiæ, quæ  
 tales fuerūt, ut Iunius Cordus loquitur, ex ijs, qui harum rerum perscrutatores  
 fuisse dicuntur: monoliū de albis nouem, reticulum de prasinis undecim, dextro-  
 cherium cum costula de hyacinthis quatuor, præter uestes auratas, & omnes re-  
 giās, cæterāq; insignia sponsaliorū. Adolefcens autē ipse Maximinus superbiam  
 fuit insolentissimæ: ita, ut etiā cum pater suus homo crudelissimus pleriq; ho-  
 noratis assurgeret, ille resideret. Vitæ latioris, uini parcissimus, cibi auidus maxi-  
 me syluestris: ita, ut non nisi aprunam, anates, grues, & omnia captiua ederet. In-  
 famabant eum ob nimiam pulchritudinem amici Maximi, Balbini, & Gordiani,  
 & maxime senatores, qui speciē illam uel diuinitus lapsam incorruptam esse no-  
 luerint. Deniq; illo tempore, quo circum Aquileiā muros circūueniens cum pa-  
 tre deditiōem urbis petebat, nihil aliud ei q̄ spurcitijs obiecta est, quæ longe  
 ab illius

Als Troxo-  
 tius.



ab illius fuit uita. Vestibus tā accuratus fuit, ut nulla mulier nitidior esset in mūdo. Amicis paternis immane quantum obsecutus est, sed ut donaret, ac largiretur. Nam in salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, & genua sibi osculari patiebatur, nōnunquā etiā pedes: quod nunquā passus est senior Maximinus, qui dicebat: *Dij prohibeāt, ut quisquē ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Et quoniā ad Maximinos reuertimur, res iucundæ prætereundæ non sunt. Nam cū esset Maximinus pedum, ut diximus, octo, & propè semis: calciamentum eius, id est, campagum regiū, quidam in luco, qui est inter Aquileiam & Arziā, posuerunt: quod constat pede maius fuisse hominis uestigio, atque mensura. Vnde etiā uulgo tractum est, cum de longis, & ineptis hominibus diceretur, *Caliga Maximini.* Quod iccirco indidi, ne qui Cordum legeret, me prætermisisse crederet aliquid, quod ad rem pertineret. Sed redeam ad filiū. De hoc adolescente Alexander Aurelius ad matrem suam scribit Mammeā, cupiens ei sororem suam Theodiam dare, in hæc uerba. *Mi mater, si Maximinus senior dux noster, & quidem optimus, nō aliquid in se barbarum contineret, iam ego Maximino iuniori Theodiam tuam dedissem. Sed timeo ne soror mea Græcis munditijs erudita, barbarum socerū ferre non possit: quāuis ipse adolescens & pulcher, & scholasticus, ad Græcas mūditijs eruditus esse uideatur. Hæc quidem cogito, sed te tamen consulo, Maximinū Maximini filium generum uelis, an Messallam ex familia nobili oratorem potentissimū, eundemque doctissimū, & (nisi fallor) in rebus bellicis si applicetur, fortem futurum. Hæc Alexander de Maximino, de quo nos nihil amplius habemus quod dicerem? Sanè ne quid prætermisum esse uideatur, etiā epistolam indidi patris Maximini imperatoris iam facti: qui dicit iccirco se etiam filium suum appellasse imperatorem, ut uideret uel in pictura, uel in ueritate qualis esset iunior Maximinus in purpura. Fuit autē talis epistola. Ego cum propter affectum, quē pater filio debet, Maximinū meum imperatorem appellari permisi: tum etiā ut populus Romanus, & senatus ille antiquus iuraret, se nunquā pulchriorem imperatorem habuisse. Usus est autē idem adolescens & aurea lorica exemplo Ptolemæorum, usus est argentea, usus & dypeo gēmato inaurato, & hasta inaurata. Fecit & spathas argenteas, fecit etiam aureas, & omnino quicquid eius pulchritudinē posset iuuare. Fecit & galeas gēmatas, fecit & bucculas. Hæc sunt, quæ de puero sciri, & dici decuit. Reliqua qui uolet nosse de rebus ueneris, & amatorijs, quibus eū Cordus aspergit, eundem legat. Nos enim hoc loco finem libri faciemus, ad alia, ut iubetur, uelut publico iure properantes. Omina sanè imperij hæc fuerunt. Serpens dormienti caput circumdedit. Posita ab eodem uitis intra annum ingentes uuas purpureas attulit, & miræ magnitudinis facta est. Scutum eius sub sole arsit. Lanceola sic fissa est fulmine, ut tota etiā per ferrū scinderetur, & duas partes faceret: unde dixerunt aruspices duos imperatores nō diuturnos ex una domo isdē nominibus futuros. Lorica patris eius non, ut solet, ferrugine, sed tota purpureo colore infecta à plurimis uisa est. Filio autem hæc fuerunt: cum grammatico daretur, quædam patens sua libros Homericos omnes purpureos dedit, au-*



reis literis scriptos, ipse puerulus, cum ad cœnam ab Alexandro esset rogatus in patris honorẽ, quod ei deesset uestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit. Cum infans esset, subito per publicum ueniente uehiculo Antonini Caracalli, quod uacuum erat, conscendit, & sedit, & uix, agręq; à mulionibus carrucarijs deturbatus est. Nec defuerunt, qui cauendum infantem dicerent Caracallo. Tum ille dixit: Longe est ut mihi succedat iste. Erat enim illo tempore inter ignobiles, & nimis paruus. Mortis omnia hæc fuerunt. Venienti contra Maximum, & Balbinum Maximino cum filio mulier quædam passis crinibus occurrit lugubri habitu, & exclamauit, Maximini, Maximini, Maximini: neq; quicq; amplius dixit, & mortua est. uidebatur enim dicere uoluisse, succurrite. Canes circum tentorium eius in secunda māsione ultra duodecim ulularunt, & animam quasi flendo posuerunt, ac prima luce mortui sunt deprehensi. Lupi urbem quingenti simul ingressi sunt, in quam se Maximinus contulerat. Pleriq; dicunt Hemonam, alij Archimeam, certe quæ deserta à ciuibus uenienti Maximino patuit. Lógum est omnia persequi: quæ qui scire desyderat, is uelim, ut sæpe dixi, legat Cordum, qui hæc omnia usq; ad fabellam scripsit. Sepulchra eorum nulla extant: in profluentem enim cadauera eorum missa sunt, & capita eorũ in campo Martio insultante populo exusta. Scribit Aelius Sabinus, quod prætermittendum non fuit, tantã pulchritudinem oris fuisse in filio, ut etiam caput eius mortui iam nigrum, iam sordens, iam maceratum defluente tabo uelut umbra pulcherrima uideretur. Deniq; cum caput Maximini pilo circumferretur, & ex hoc ingens gaudium esset, propè par moeror erat, quod & filij caput pariter portaretur. Addit Dexippus tantũ odium fuisse Maximini, ut interfectis Gordianis, uiginti uiros senatus creauerit, quos opponeret Maximino: quibus fuerunt Balbinus & Maximus, quos contra eũ principes fecerunt. Idem addidit in conspectu Maximini iam deserti à militibus Anolinũ & præfectum prætorio ipsius, & filium eius occisum. Nec desunt historici, qui dicunt ipsum Maximinum, ubi desertus est, & ubi filium interemptũ ante oculos suos uidit, manu sua se interfecisse, ne quid ei muliebri cõtingeret. Prætereundũ ne illud quidem est, quod tanta fide Aquileienses contra Maximinũ pro senatu fuerunt, ut funes de capillis mulierum facerēt, cum deessent nerui ad sagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum. Vnde in honorem matronarum templum Veneri Caluæ senatus dicauit. Sanè quod nullo in loco tacendũ est, cum & Dexippus, & Arrianus, & multi alij Græci scripserunt Maximum, & Balbinum imperatores cõtra Maximinum factos: Maximum autem cum exercitu missum, & apud Rauennam bellum parasse, Aquileiam autem nisi uictorem non uidisse. Latini scriptores non Maximum, sed Pupienum contra Maximinum apud Aquileiam pugnasse dixerunt, eundemq; uicisse. qui error unde natus sit, scire non possum, nisi forte idem est Pupienus, qui & Maximus. Quod ideo testatum posui, ne quis me hoc nescisse crederet, quod re uera magnum stuporem, ac miraculum creat.

Iulij